noxias quae mathesis dicunt. even
tus rerum praescire posse conentur.
quos non solum christianae religionis
auctores sed etiam gentilium. pla
to. aristoteles. atque alii rerum veri
tate commoti. concordi sententia
damnaverunt. dicentes confusionem
rerum potius de tali persuasione
generari; nam sicut genus huma
num ad varios actus nascendi ne
cessitate premeretur. cur aut lau
dem mereantur boni. aut mali le
gem percipiant ultionem. et quam
vis ipsi non fuerint caelesti sapi
entiae dediti. veritatis tamen tes
timonio. errores eorum merito
perculerunt; Ordo autem iste sep
tem secularium disciplinarum
ideo a philosofis usque ad astra per
ductus est. scilicet ut animus sae
culari sapientia inplicatus a ter
renis rebus abduceret. et in super
na contemplatione conlocaret.

EXPLICIT LIBER III.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI IIII.
IDEST DE MEDICINA

I De medicina;
II De nomine eius
III De inventoribus eius;
IIII De tribus heresibus medicorum
V De IIII humoribus corporum,
VI De acutis morbis;
VII De cronicis morbis;
VIII De morbis qui in superficie cutis videntur
VIIII De remediis et medicaminibus;
X De libris medicinalibus;
XI De instrumentis medicorum;
XII De odoribus et unguentis;
XIII De initio medicinae;

DE MEDICINA

I Medicina est quae corporis vel
tuetur vel restaurat salutem
cuius materia versatur in morbis
et vulneribus; ad hanc itaque perti
nent. non ea tantum quae ars eorum
exhibet qui propriae medici
nominantur sed etiam cibus et potus.
~~tegmen~~ et tegumen. defensio denique
omnis atque munitio qua sanum cor
pus adversus externos ictus casus
II que servatur; DE NOMINE EIUS

Nomen autem medicinae a modo
id est temperamento inposi
tum aestimatur. ut non satis sed pau
latim adhibeatur. Nam in multum
contristatur natura. mediocriter
autem gaudet. unde et qui pigmen
ta et antidota satis vel adsidue bi
berint vexantur. Inmoderatio
enim omnis non salutem sed pericu
III lum adfert; DE INVENTORIBUS

Medicinae autem artis auctor ac
repertor apud graecos perhibe
tur apollo. hanc filius eius scolapi
us. laude vel opere amplavit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_281/0130